



IS

FA 151.680





EN LA FIESTA

DE S. FEBRERO

EL REVERENDO CLERO

DE LA IGLESIA PARROQUIAL DE EL DIFONMARTIN

SAN LEON

A LA TERCERA CENTURIA

DE LA DEVOTA CANONIZACION

DE S. VICENTE FERRER,

EN EL DIA 1. DE EL MES DE JULIO DE ESTE AÑO 1777

PREDICO

EL P. VICENTE FERRER, M. A. M. J. de
Jesús, Doctor y Catedrático que fue de Teología,
Licenciado que ha sido de los Colegios de Gandia, y
de Mallorca, y actual del Colegio Maximo
de San Pablo de Valencia, Examinador Synodal del
Arzobispado de Mallorca, Coadjutor del
Santo Oficio, &c.

HAZALE A LUZ A SUS OPINIONES

EL MISMO REVERENDO CLERO.

EN EL DIA 1. DE JULIO DE 1777

En el nombre de Dios, yo el abajo firmado, del a donde de la de
y de las fiestas que en ella se celebraron
el mismo año.

6

D. FRANCISCI
ALBARRACINI, ET ALCEGAE,
In Episcopatu Orcelensi per Caroli III.
Regis gratiam Pensionarii,

PRO IMMACULATAE VIRGINIS

CONCEPTIONE

ORATIO,

IN CONGREGATIONE

*Mariano-Angelica Collegii Maximi
Jesuitarum Valentini*

PRIDIE EJUS DIEI FESTI HABITA.



VALENTIAE, M.DCC.LX.

Typographiâ Valentina Benediâ Monfort, Seminarii Nobilium
S. J. Typ. juxta Scholasticorum Nosocomium.

D. FRANCISCI
ALBARACINI, ET ALI CEGAR
in Episcopatu Occident. per Carol. III.
Regis gratiam Pontificat.
PRO IMMACULATAE VIRGINIS
CONCEPTIONE
ORATIO

IN CONGRUATIONE
Maximo-Angelica Collegii Maximi
Festivum. Valentini
PRIDIE EIUS DIEI FESTI HABITA.





Ovum crimen, Auditores, & ante hunc diem inauditum: nos omnes antea plane nescii, utpote qui nihil nisi impollutum, nisi rectum, nisi sanctum, nisi divinum in Maria Dei Matre esse cognoramus; quanto (Deus bone!) cum stomacho accepimus, rumores frequentissimos toto terrarum orbe esse dissipatos hominum nec hebetum, nec indoctorum, ab quibus famam esse cretam, ac diditam, eam saltem primo vitae suae momento temporis, sin minus diuturnius, in daemoniorum fuisse potestate!; Equisnam autem, lectis historiae monumentis, quod in iudicio Catonem adversarii, ut innocentissimus esset, quinquagies tamen postulaverint, nunc amplius admiretur, si & coeli, terraeque dominam nimio quanto illi virtute antecellentem contaminare, quoad est situm

in ipsis, esse qui nitantur, intelligat? Quamobrem ego quamlibet Demosthenis, Isocratis, Hortensii, Crassi, aut Tullii (cuius ob os Graii ora obvertebant sua) summam eloquentiam, flexanimamque vim loquendi, qualem haec causa postulet, & etiam flagitet, ita non habeam, ut cum aetatis adolescentia dicendi infantiam, quod non sine rubore dico, coniunxerim; tamen ad abolendam, atque amoliendam oratione tantae matri immerenti illam maculam, quam maxima possim animi contentione, ac vero etiam dimicatione accingar. Quod si illis defensionem meam probavero, qui se minime in hoc aequos Virgini praebeant, & quam magni sint quae stent ab ea contra criminationem ostendero; cum victam causam suam esse non nesciant; id, quod vehementer confido fore; tum denique se errare, labi, ludi, decipi agnoscent, ac porro coincident.

Quamquam est ita inusitatum, Reginam omnium gentium, aetatum omnium, temporum, civitatum, orbis terrarum clarissimum lumen, tanquam criminis ream causam dicere, ut non modo à communi consuetudine iudiciorum propter ipsam insolentiam profus valde abhorreat; sed ne fando quidem quidquam tale sit ulli post hominum memoriam exauditum. Nam cum Mariam Otonis III. Caesaris coniugem, cum Estuardam Principem Scotorum & flammaram, & gladii summis suppliciis mactatas esse aut audimus, aut legimus, pervalde quidem exhorremus, neque minus suppliciorum acerbitate, quam indignitate commovemur. At haec enim, ut admodum indigna per se sint, nihil ad nostram causam, sed absunt ab ea certe per plurimum. Nam & quanti inter Principes alicuius terrarum anguli, quae illae fuerint, nostramque Reginam coeli, & orbis universi, & etiam inter poenam utrarumque interfit! Illae enim mortem corporum, quae aliquando tandem cuique obvenire esset necesse, perpeffae sunt: at hanc nostram in culpa originis, quae sibi infanti affin-

giture, praestanda, omnia simul vivendi taedia, incommoda, omnes sordes, labores, mortem ipsam denique, culpa in qua erat poenam, ferre, id si ita esset, oporteret. Quid quod morte necessaria, cuiusque modi illa sit, lumen istius vitae, quae ad exiguum tempus durat, unice extinguitur: cum culpa, ac peccato aeterni animi caeteroqui beata immortalitate donandi, tamquam acutissimo quodam gladio perimantur.

Verum enim vero quod accusationis caput est ante omnia audiamus, ne, si quid ab adversariis magis, quam à nobis facit, ipsique magnum deputant, atque tantum non arcem suae causae esse confidunt, infirma diffidentia, rectaque dissimulantia connixisse in dicendo videamur. Illud igitur primum omnium, tamquam Achilles obiicitur, universos nos homines hac percussa, atque abiecta conditione esse natos, qui miserrimam servitute[m] de Adami, atque Evae parentum nostrum primaeva culpa daemone serviremus. Quos, si, quantum memoria retro respicere potest, altiusque, quam Ledeo ab ovo, ut effertur proverbio, repetamus; natura summe beatos conditos fuisse inveniemus, & in paradiso constitutos, arboribus confito, fontium, atque fluminum perennitatibus irriguo, omni-que voluptatum genere affluentibus. Illi, si, ut Uladislavus Rex Polonorum, qui à Malis sic abhorruerit, ut ne odorem quidem eorum ferre posset, vel, ut apud Marcellinum Constantinus, qui nunquam pomum manducaverit, Dei imperio, ut ne eo vescerentur, sese conformassent, ac dicto ei fuissent audientes; ; ò nos omnes beatos, ò Remp. omnis humani generis fortunatam! At non minus, quam post multo Passienus ille Crispus secundum COS. Morum arborem adamavit, aut Xerxes ille rex Persa proceram platanum in Lydia deperiit, quam circum per diem est castrametatus, & torquibus, armillis, aliisque muliebribus, quasi sponsam insignivit, illi, malo nostro, mali arborem concupiverunt. Cuius pomum, iussu Dei contempto,

cum degustavissent ; dolorum morsibus , anxietatibus , ac quidquid est in vita nobis , qua animi , qua corporis incommodorum , universi posteri obnoxii , & velut quibusdam pro culpa debitis obstricti , obaeratique in omne reliquum tempus permansimus.

Hac teneri lege omnes natos , & à scripto ex Deo ipso novimus , & ipsa rerum periclitatione magno cum malorum sensu perspeximus. Sed animum ad haec , quae nunc dicam , quaeso , attendite ; & ea animis vestris penitus , mentibusque mandate. Nunquam Deus inter eos , quos hac lege vinceret , accensere Mariam cogitavit. Multum ille ab omni aeternitate in posterum prospiciens luce clariora omnia , quae quolibet in tempore casura erant , videbat : quam se in partem liberae voluntatis parentes primi fore ut darent , diiudicabat. Haec sempiternus Pater animadvertens , non modo filium , homo cum fieret aliquando , sed ipsam etiam matrem , cuius fatu sine viri opera ederetur , excludi tanto ante decrevit. Neque enim Catonis illud : **PATERE LEGEM , QUAM IPSE TULERIS** Deo hominum naturam induto accedere posset , sed esset plenum dedecoris , probri , indignitatis , & ipsum illud , quod Torquatus ille Manlius supra omnes crudelis fecisse traditur , ut in filium suum ipsa , quam iusserat , lege ageret. At ista ratio eadem , quae in filium , quoniam simul Deus erat , valuit , in Mariam , tamen ut Dei mater sit , minime valet , inquit. Quod si Philonis deserto cuidam effato , parentes Deos quosdam esse volentis nequaquam acquiescunt ; maxime cum Christus illam in colendo semper putarit Immaculatam , matrisque simul eidem honores semper tribuerit ; haud sane facile quid multis , & firmissimis , quae ab hac sententia fiunt , argumentis respondere possint , invenient.

; Quid tam porro regium , tam liberale , tam munificum dici , vel fingi potest , quod Deus non prolixissime contulerit , praestiterit , atque exercuerit in Filia , in Matre,

tre, in Sponſa virgine, tanquam in Sparta ſua, una ante ceteras omnes digna, quotquot, aut ſunt, aut umquam omnino eſſe potuerunt, exornanda? Ea, quae Salomon in Berſabea matre, quae Aſſuerus in Eſthere coniuge, & ſi quae ſunt alia generis eiufdem, vel ſacris, vel profanis literis conteſtata, multo ſordere aequum eſt, ſi cum illis, quibus Deus Mariam matrem digne ac erat merita, & pro eo ut ſumma eius dignitas poſtulabat, locupletaverit, comparentur. ; Anne Angelos huius exortes legis culpa cum procreaſſet, decebat fieri, ut ei maculae illorum Reginam, ac Principem longe praeſtantiſſimam addiceret, qua illi, cum crearentur, caruiſſent? ; Anne hoc ipſo originis communi vinculo, quamquam ex ſordido terrae limo fictis patribus omnium populorum, tamen etiam primum exolutis, vel nunquam, ut ſatius dicam, coarctatis; expultrix haec totius orbis exitii, quae filium Samſone ad illud dirumpendum antequam eam conſtringeret, nimio valentior gigneret, alligaretur? ; Ubinam autem gentium, aut in qua tandem, vel Scytharum civitate factum eſſe audimus, quod ſervis liberatis, vel nunquam catenarum nexu aliquo compeditis, eodem tamen Regina aſtringatur? Quod ſi illis à culpa hac eſſe vacuos datum eſſe concedunt; ; cur per gratiam Mariae idem dandum eſſe non cenſeant? Nam ſi à Deo, quod ipſi nobis ſine recuſatione dabunt, effici potuit; nulla eſt reliqua quin fecerit dubitatio. Ruerre enim prima Virginis incolumitas, innocentia, immunitas haud quaquam poſſunt, ut non eiufdem parentis, & una etiam filii Dei ſummi potentia, liberalitas, miſericordia eodem labefactata motu concidant.

¶ Quam rem Elſinus Abbas, D. Birgitta, alique ex Deo de complexu eius, ac ſinu ita eſſe intellexerunt, & Manreſae quidam Canonicus, ut pro ea diceret teſtimonium, fuit ab inferis excitatus. Neque vero, quae eius eſt perſpicuitas, patuit minus Baptiſtae Agneſio, qui, nihilominus ut caecus eſſet, eam vidit quodammodo, egregieque

in ea celebranda tot anagrammata concinnavit , ut fuerit centum quinquaginta Davidis psalmos illorum numero consequutus. ; Quid vultis amplius ? Vel ipse daemon , qui partiuncula illa prima temporis in Mariam dominatus esse perhibeatur , cum ter interrogaretur , ; quid fuisset , diceret ? primum , secundum , tertium valde affirmans illam vocem respondit , quam sanctus vir unus elicuit , etiamsi ab invito : *Dei matrem* scilicet , *nunquam illa labe sordidatam fuisse*. Sed quoniam in conventu virorum literatissimorum , qui huc frequentissimi confluerunt , dico , aliis , quae afferre possem , supersedebo , ne fortasse his , qui audiunt , videar aut schedulam , aut literulam ad illas omnium artium inventrices Athenas , aut vero noctuas , quibus referta illa erat Graecorum regio , mittere.

Tantum dicam , in hac Mariae incolumitatis causa iudicio persequenda , non modo Hispanos Reges nostros excelluisse , sed etiam ceteros omnes anteisse. Nam si , praeter Caesares aliquos , solos fautores , defensoresque regia maiestate praeditos censueris , minimum sedecim extitisse invenies : at ex his Hispanos fuisse duodecim annumerabis. Qui , tanquam si sua Hispaniae res ageretur , Montis regalis Comitum , Jesuitam Albornozius , Trejum , Borgiamque Valentinum Romam legatos de expedienda causa miserunt : plurima argenti , aurique talenta , quae ab regio aereo penderentur in grandi impensa , quae facienda erat , sunt libentissimo animo elargiti. Quibus curis hoc sunt consequuti , ut rem tam deprehensam , tam cognitam , tam illustratam , tamque patefactam in eo , quo iam sit , statu videremus , ut ab eis , quae fide catholica teneantur vix , ac ne vix quidem , digitum discedat : quod autem adhuc non sit definita , sed pugnacissime fuerit digladiata , ex quo tantus Mariae accrevit honor , hoc solum laedat invidos , illi valeat ad gloriam. ; Nonne Philippus item IV. ab omnibus sui imperii Oratoribus in concionum exordio , gravissimis verbis , ut virgo IMMACULATA salveret , iussit ? Cuius de-

decreti vim remitti tantulum in suos cum posceret Pradus quidam Provincialis , ut cum eis lenius ageretur; perinde quasi de maiestate condemnatus ; nonne à Philippo statim exulavit ? ; Quid autem est hoc aliud , nisi quod nostrae Hispaniae Reges honorem prorsus omnem Mariae ducunt suum?

ii Carolus noster hic III. qui cum virtute fortunam adaequavit , quique animi magnitudine , prudentiae iudicio , bellicarum rerum gloria , regundi imperii singulari scientia , se conveniendi facilitate , ita ut etiam abiectissimus quisque , & nullo capite census proclives ad eum aditus habeat ; non solum maiorum suorum exempla adumbraverit , sed expresserit , auxerit , superaverit ; hac una in re , aestuanti scilicet in Mariam Immaculatam pietate inter illos multo maxime excellit. Nam praeter erectam Virgini Neapoli pyramidem priscis tanto Memphi opere celebratis expolitiorem , in qua ipse cum carissima Amalia coniuge , cum mellitissimis liberis factus è marmore cernatur ; compertius nunquam eius voluntas patuit , quam manifesto deprehensa , atque cognita est in proximis hifce comitiis , in quibus cum è regio sanguine longe Principes , tum Ecclesiarum Pontifices , tum regni optimates , tum legati provinciarum maiorem eius natu legibus filium iurisiurandi interposita religione Asturum Principem salutaverunt. Hic ille omnium tam splendorum Senatus voluntates benigne , ac comiter exquirat , ; num Mariam in Conceptionis Mysterio , cui rem omnem publicam devovisset , secum vellent Patronam Hispaniae primariam legere ? Cui cum assensu ad unum essent omnes , ut ea de re Ecclesiae officium Romano more confectum à Pontifice Maximo approbaretur se curaturum dixit. Quin etiam ut causa , tanquam ex tripode verae fidei decerneretur , sponddit , quanta apud Sacrum Romae Senatum valeret gratia (valet autem plurima) se summis precibus obsecraturum. Id vero laetitiis omnibus adeo laetus peregit , ut una ii , qui
ade-

aderant , voce perferrent , Carolum anteaetos Principes uniuersos regiis quidem laudibus superasse , illa uero die seipsum uicisse.

Atque ut ad nostrum regnum tandem delabatur oratio: duobus pro beneficiis apud nos factis , sin minus Mariae gratias referre possimus Valentini, habebimus quidem certe , colemusque memoria sempiterna. Unum illud est , in penitissimo bulbi trium liliorum corculo totidem Conceptionis imagines , quales effingi , & affabre dedolari à summis artificibus soleant , fuisse inventas ; quarum unam capsula argentea inclusam ad magnum Philippum IV. ex hoc nomine Hispaniae Regem dono per ei grato Dux sancti Stephani Valentiae Prorex misit. Ut non infacete de nostris Valentinis dici uideatur uere posse , quod fannio ille nasute de aliis gentibus per deridiculum pronuntiavit, sanctas eas esse uidelicet , quibus numina in hortis nascerentur. Alterum est , Jesuitae Alberro commemorabili uirtute praedito eam se uidendam exhibuisse in modum, quo ipsa pingi uellet. Quod pictor dum aggreditur, nihil proficit , mentem sancti uiri in adumbranda nullus capit , sibi penicillus saepe de manibus occulta ui extorquetur. Agnoscit tandem homo causam , remque intelligit. Omnes conscientiae sordes piaculari confessione detergit. Quo uix dum facto , tam eleganter , polite , belle Virginem in Conceptionis Mysterio pinxit , ut tabula, quam quotidie oculis cernimus , consilio , & normae, quam ei Alberus dederat , quamque uiderat , ad miraculum usque responderit. Sed manum de tabula. Quod autem per illud fere tempus , quo Mariana uestra haec sodalitas fuit erecta , lapis ad Turiae ripas cum hac inscriptione Romanorum SODALITIUM VERNARUM COLENTES ISIDEM sit effusus, felix , faustumque augurium est. Nam si Ecclesia , quam super petram aedificatam à Christo fuisse scimus , & congregatio , seu sodalitiu idem sunt ; hoc fictae Isis involuero canere mihi

mihī Deus immortalis videtur, Mariam, quam Immaculatam nos servi, & vernae eius privato officio, ac religionis fide in nostra sodalitate veneramur, eandem brevi in Romana Ecclesia ab omnibus fide publica esse colendam.

DIXI.



Vt. R. P. JOACHIMUS JUAN SOCIETATIS JESU,
Theologiae Professor Primarius, Hebraicae Linguae Magister,
& Congregationis Mariano-Angelicae Praefectus; atque in
laudem Purissimae Conceptionis B. M. V. hoc edit Epigram-
ma Hebraicum, quod & Mariano-Angelicae Congregatio-
nis Alumni in Linguam Graecam, Latinam, & Hispa-
nam vertebant.

פ ס ו ק

לְשׁוֹן הַיְהוּדִים וְסִפְרָר וְיוֹן וְכֹתֵימ
תְּהַלֵּל לְמַרְגָּם בְּלִי-מֹם בְּשִׁירִים קְרוּשִׁים:

Εἰλλας, Εσπεριας, Ρωμαιο γλωττα, χ' Εβραια
Ασμασι τοις αγιοις Μαρναν ασει αμιαντον.

Graeciae, & Hesperiae, Romana, Hebraeaeque Lingua
Cantibus extollet sacris sine labe Mariam.

La Lengua de España, y Grecia,
con la Hebrea, y la Romana,
celebrará en sacros Hymnos
à Maria Immaculada.

מִיּוֹם הַטֵּבַת שְׁנַה אֲזַס


Jhs. Imprimatur.
Dr. Mayoral, Vic. Gen.

Imprimase.
Caro.

1. De la...
 2. De la...
 3. De la...
 4. De la...
 5. De la...
 6. De la...
 7. De la...
 8. De la...
 9. De la...
 10. De la...
 11. De la...
 12. De la...
 13. De la...
 14. De la...
 15. De la...

1
0
0
1
9
0
2
5
0





SERMON
Varios
